Rde in Xto Pr

Pax Christi.

Transmitto R. Vae 2um fasciculum responsionum, quae ad puncta à R. Va proposita mihi transmisit Mgr montium et assessores eius Schemnicio. Circa hoc scriptum significo R. Vae, et puto esse bene notandum, quod praeter unum omnes haeretici sint, qui se subscripserunt, nec tantum laboris adhibuerunt praeter ~~eum~~ eos, qui primo et secundo loco scripti sunt. Primus uocatur Joes Georgius Weiss et est primarius officialis in montanis rebus, quem uocant Bergmaister. 2o loco scriptus Dnus Julius à Lansee quasi Secretarius multum laborauit in hoc negotio, caeteri omnes subscripti praeter catholicum D. Martinum Sepp non multum rogati sunt, nec indicamus nos eorum multum mentionis esse faciendum. 2o notandum est, quod ~~Dnus~~ Nobilis et Generosus Dnus Joes Georgius Schultz catholicus et Nobilis ac Generosus Dnus Antonius Joanninal et catholicus in hoc opere plurimum sunt rogati, quorum peculiares aliae informationes etiam sequentur cum nominum eorum subscriptione. 3o valde rogo R. Vam, ut me dignetur informare, an quae nunc consequenter transmitto, accipiat, an non. Nollem perdi. Caepi initium die 12a Martij. cum die transmisi informationem datam à Nobili et Generoso Domino Joanne Schapplman Montium Magistro in Herrngrund, seu valle dominorum prope Neosolium, ubi sunt cuprifodinae. Ah Amantissime Pater, optarem, ut ipsamet R. Va saltem per tres vel 4or septimanas adesset, admiranda obseruaret, quae nos non ita possumus R. Vae communicare. Certum est, quod natura hic in multis sit admirabilis. Mineralia, quae non sic omnia possem R. Vae communicare, prout R. Va desiderat, et pro bono communi essent, valde commendabo Patri Procuratori Prouinciae, ut secura et certa occasione ad manus R. Vae transmittam. Puto quod R. Va habebit in multis, quam Deus et natura mira operentur, multa admiratione digna: cum summa animi mei voluptate audiam sapientissimis hac de re discursus. Nuper R. Vae scripsi, quod pro honorarijs et alijs indigeam tribus imperialibus, quos vere non habeo: significo tamen, quod alijs sim usus medijs, ut itaque non sit opus tam transmittere, solum pauperi uni Scribae, qui satis diu et multum scribere debuit, debitor factus sum, pro hoc solum exsoluendo saltem indigebo uno imperiali.

R. P. Rector noster R. Vam humanissime salutat. Sicut et dicti dni officiales tum Neosolienses tum Schemnicienses, à quibus etiame continuo nouas accipio informationes: boni uiri fideliter cooperantur. Salutat humanissime P. Esmos P. Nadasi P. Globucisky P. Schwärtzl et alij nostri omnes, et me R. Vae in SS. missae sacrificia enixe commendo. Tirnauiae 19 Martij 1660.

R. Vae Seruus in Xto

Andreas Schaffer

#

Reverendo Patri in Christo
Patri Athanasio Kirchero
Societatis Jesu.

Commendantz Viennæ R. P. Procuratori Romæ
Quincia in domo Professa

20